liceat dicere. Bonum est Domine quia humiliasti Ecclesiam tuam, quoniam
hac ratione correxisti corruptos quorundam quos ministros tuæ voluntatis dele-
geras, mores, quoniam excitasti multos ad implorandam opem et auxilium tuum,
ad sacros libros diligenter evolvendos, ad vitam, moresq; corrigendos. Dum
tribulatur clamat Ecclesia sancta quod si opibus florens quiete, qua aliquot
iam annos fruebatur, frueretur, non clamaret fortasse tam sæpe ut nunc
auxilio Dei maxime egens clamat. Et profecto si quis recte consideret divina
providentia ex calamitate Ecclesiæ et ex ambitiosorum hominum sententijs
hæc duo incommoda intelliget ad christianos ~~deriuasse~~ pervenisse. alterum quod maiore
studio in patrum sanctissimorum et doctissimorum libris christiani homines
versantur, quam quinquaginta ab hinc annis fieri solebat. alterum quod illi
qui christianæ Reip: præsunt vitam moresq; suos magno cum Reip: christianæ
~~præsunt, vitam moresq; suos~~ usu multum correxerunt. Mores superiorum
temporum non est necesse commemorare, utinam hæreseon et calamitatum imbecillis
ingenijs materiam non præbuissent. Divitias esse plerunq; ministras incon-
tinentiæ et altrices superbiæ. Prosperitatem esse matrem contumeliæ et stul-
titiæ plenæ sunt historiæ. quod quidem Hebræus populus ostendit, qui dum
florebat opibus, Deum ut patrem et principem non agnoscebat, idolis turpiter
serviebat. cum in calamitates incidebat, diluculo revertebatur ad Dominum.
afflictiones igitur christianæ Reip: salutares medicinæ, quibus multorum
insolentia sanari possit existimentur, paupertas viaticum ad sobrietatem

putetur

putetur, hæreses cohortationes ad evolvendos libros et ad retinendam animi
constantiam, mali principes ministri iræ divinæ et ultores scelerum nrorum
habeantur. corrupta vivendi ratio quæ fuit in nonnullis qui Ecclesiæ
Dei præfuerunt testetur Dei patientiam, bella ut testimonia nostrorum
scelerum et divinæ iustitiæ arma non moleste ferantur, pestis Dei
gladius ut iustissima Dei ultio cum ita ei placet non recusetur. Sic ex
quacunq; calamitate excerpi potest bonum, a christiano præsertim, in
quo, primum secundum et tertium requiritur humilitas, cuius est pro-
prium res humanas despicere, mortem meditari, quæ sua sunt non curare,
omnia ad Dei gloriam et ad hominum commoda referre, quæ cum ve-
rissima sint, homines minime mali in Dei bonitate minime, ut par est, confi-
dentes se, ipsos consolentur, perturbationes Ecclesiæ, cum illius Deus à
constitutione Mundi fuerit et futurus sit perpetuus moderator, non ex-
timescant. Manebo, inquit, vobiscum usque ad consumationem seculi et
nos timebimus? Dilectam sponsam christus appellat Ecclesiam, et dubita-
bimus contaminari posse ne dum everti? Quid credimus, ut alia quam
plurima exempla omittam, illam arcam, in quam Noe cum sua familia
Dei iussu ut ab eo renovaretur humanum genus, est absconditus, nisi Ecclesiam
sanctam Dei indicasse? Multiplicatæ sunt aquæ et elevaverunt eam inquit
in sublime, non tamen demerserunt, quod nihil sibi vult aliud quam navi-